



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118480**

§. 18. Cæsar Romæ deprædationem, & Papæ captivitatem edoctus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

vero Angliæ Rex singulis mensibus ali-  
 quam pecuniarum summam persolveret, Sæcul. XVI. A. C. 1527.  
 quæ ad exercitum usque ad finem Men-  
 sis Octobris alendum necessaria foret.  
 Postrema hæc pacta firmata ac subscri-  
 pta fuere Westmonasterii die vigesima  
 nona Maji, circiter tertia post captam  
 urbem hebdomada, quo tempore ela-  
 pso quantocius fœderi exequendo ma-  
 nus admovebatur.

§. XVIII.

*Cæsar Romæ deprædationem, & Pa-  
 pæ captivitatem edoctus.*

Sub idem tempus Carolus Imperator Pallav. hist. Conc. Trid. l. 2. c. 14. p. 220.  
 nuncium accepit, Romam a militi-  
 bus vastatam, ipsumque Pontificem ad  
 arcem S. Angeli fugere compulsam, ibi-  
 demque obsessum teneri; tot calamita-  
 tum fama se graviter commotum simu-  
 labat Imperator, qui tum Vallisoleti agens  
 jam antea festivos ignes accendi jube-  
 bat in signum lætitiæ, eo quod uxor ejus  
 filium Philippum hujus nominis primum  
 feliciter enixa esset. Ast quantocius fe-  
 stivam aulæ pompam in vestes lugubres  
 commutavit, publicas preces, ac  
 solemnes supplicationes instituit,  
 ut misericors Deus tanta mala  
 ab Ecclesia sua avertere vellet, verbo,  
 nihil eorum intermisit, quibus immen-  
Hist. Eccles. Tom. XXXV. O fo

saecul. XVI so dolore se oppressum fingeret (\*), cum  
 A.C. 1527. tamen omissis ejusmodi signis sensum  
 doloris praeferebantibus aequius Religio-

(\*) Ejusmodi simulatio non sine gravissima injuria Caesari piissimo attribuitur. Continuator quidem hanc in rem allegat Pallavicinum; qui tamen loc. cit. haec habet: *Caesar tam gravis, & inopinatae rei nuncio anceps haesit, hinc horror ejus animum occupat ob innatam Religionem, offensionemque populi Christiani: Intelligens praeterea libertatis Pontifici reddenda beneficium longe impar offensionis gravitati, futuram timebat a tanto hoste libertati reddito parem injuriae vindictam. Quapropter facinus execratus copiarum Ducibus injunxit, ut ea ratione Pontificem liberarent, qua militibus stipendia persolverentur, sibi que cautum foret, ne quid ex ea Indulgentia detrimenti esset passurus. Sed haec ambigua Caesaris mandata inhumaniore subtilitate sunt interpretati & executi Duces Caesariani, adeoque plures menses in custodia Pontificem habuere. Haec ille, Palatius quoque in vita Caroli V. disertis verbis affirmat, quod Caesar non ficta simulatione Romani Pontificis calamitatem detestari videretur, ut quam neque suo ab imperio profectam diseret, quocirca datis ad Galliarum Regem, cujus offensionem formidabat, literis purgare facinus conabatur. Sleidanus quoque cum Surio pag. 157.*

Ray-

si Principis famam sibi conciliare potuisset, si eodem tempore Papam liberum dimitti jussisset, quem ex adverso sex omnino mensibus tamdiu captum detinuit, donec illum suis votis obsequi, ac conditiones, quascunque ei præscribere lubebat, acceptare compulisset; tunc demum externa hæc mæstitiæ signa a sinceritate multum aliena fuisse apparuit.

## §. XIX.

*Cæsaris consilium de Papa in Hispaniam abducendo.*

Hæc agendi ratio tantopere Romanis displicuit, ut publice plures famosos

O 2

Raynaldo ad an. 1527. Massenio l. 2. p. 156. & Jacobo Valdesio de dignitate Hispaniæ c. 22. §. 39. hæc habet: *Cæsar factum hoc diligenter excusans, nullo suo mandato accidisse dicebat: imprimis autem ad Angliæ Regem ea de re scribit; Et quamquam istud certo credat justo Dei judicio contigisse, qui vim Et injuriam sibi factam sit ultus, operam tamen se daturum ait, ut hæc ipsa clades initium sit Et occasio salutis Reipublicæ. Cum in Hispaniam esset allatus ejus rei nuntius, illico cessare Cæsar jussit ludos atque spectacula, quæ propter recens natum ei filium, edebantur. Eadem restantur Historicorum plurimi, apud quos hujus simulationis nulla fit mentio.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1527.